batur. Denique ubicumque sacratum aliquid scrip
tura testatur de patre et filio et spiritu sancto: aut
aliter interpretati sunt. aut omnino tacue
runt: ut et regi satisfacerent. et archanum fidei
non vulgarent. Et nescio quis primus auctor
septuaginta cellulas alexandrie mendacio
suo exstruxerit. quibus divisi eadem scriptita
rent: cum aristeus eiusdem ptholomei. [yperaspistes]
aeticiec. et multo post tempore iosephus.
nichil tale retulerint: sed in una basilica con
gregatos contulisse scribant non prophetasse.
Aliud est enim vatem: aliud esse interpretem. Ibi
spiritus ventura predicit: hic eruditio et verborum
copia ea que intelligit transfert. Nisi for
te putandus est tullius economicum xenofontis.
et platonis pitagoram. et demostenis pro ctesi
fontem afflatus rethorico spiritu transtulisse.
Aut aliter de eisdem libris per septuaginta in
terpretes. aliter per apostolos spiritus sanctus te
stimonia texuit: ut quod illi tacuerunt.
hii scriptum esse mentiti sint? Quid igitur?
Dampnamus veteres? Minime. Sed post pri
orum studia. in domo domini quod possumus labo
ramus. Illi interpretati sunt ante christi ad
ventum: et quod non sciebant dubiis protulere
sententiis: nos post passionem et resurrectio
nem eius. non tam prophetiam quam historiam scri
bimus. Aliter enim audita: aliter visa narran
tur. Quod melius intelligimus: melius et proferimus.
Audi igitur emule: obtrectator ausculta. Non
dampno non reprehendo septuaginta: sed confi
denter cunctis illis apostolos prefero. Per istorum os
michi christus sonat: quos ante prophetas inter spi
ritualia carismata positos lego: in quibus
ultimum pene gradum interpretes tenent.
Quid livore torqueris? Quid imperitorum animos

contra me concitas? Sicubi tibi
in translatione videor errare: inter
roga hebreos: diversarum urbium magistros
consule. Quod illi habent de christo: tui
codices non habent. Aliud est si contra
se postea ab apostolis usurpata testimonia
probaverunt: et emendatiora sunt ex
emplaria latina quam greca: greca quam
hebrea. Verum hec contra invidos. Nunc
te precor desideri karissime: ut quia tan
tum opus me subire fecisti. et a genesi ex
ordium capere. orationibus iuves: quo
possim eodem spiritu quo scripti sunt
libri. in latinum eos transferre sermonem.
Explicit prefatio. Incipiunt capi
tula libri Geneseos.



TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT